

bas intelligit calamitates. Et videns se vndis & procellis rerum aduersarum penitus obrutum, & à propriis amicis derelictum aiebat: Longè fecisti notos meos a me, posuerunt me abominationem sibi. Cernebat se in gemitu, luctu, & piis querelis versatum, nullumque suarum precum optatum effectum consecutum: quã ob causam nulla interposita consolatione dicebat: Vt quid domine repellis orationem meam? Auertis faciem tuam à me. Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea: exaltatus autem, humiliatus sum, & conturbatus. In me transferunt iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me. His verbis exaggerabat pius, ac moestus vir suarum calamitatum magnitudinem, quorum lenamen non incubatur. Ad id peruenit arumnarum, vt qui mala sibi vellent precari, diceret: Si hoc fecero, incidam in calamitates Dauidis. Intuere animo insignem pietate & magnitudine animi virum, qui ob incredibiles afflictiones & aduersarum rerum angustias traducebatur in fabulam. Id voluit ipse significare Psalmo 110. cum dixit: Tota die exprobant mihi inimici mei, & insultantes mihi per me iurabant. Pro quo nostra editio vulgata, & rectè etiam habet. Et qui me laudabant, aduersum me iurabant. Vt coniunctio in ipsum significetur. Iob singulari virtute præditus in tot incidit miseras, tot, tanusque fuit tormentorum ictibus vulneratus, vt plenus lamentis & querimonis has flebiles voces ad dominum profunderet. Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum? Contra solum quod vento rapitur, ostendit potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris. Multos alios viros præclaros vitam ad certam rationis normam dirigentes, & momenta officiorum ponderantes videmus calamitatibus pressos ad Deum pios & vehementes clamores tollere, & ab eo haud quaquam exaudiri, quò ad suarum obsecrationum desideratum effectum obtinendum. Eos quorum continentiam, fortitudinem, ieiunia, suspiria, ardentis charitatis officia, studium diuinarum literarum, piis

lachrymas, admirabilem virtutem, & singularem constantiam admiramur, aspicimus abiectos aliquando, tenebris calamitatum circumfusos, & procellarum vndis exagiatos: qui cum tempus in assiduis precibus pro sua aliorumque liberatione die ac nocte consumunt: eorum effectum nequaquam intuentur. Nonne hoc verum est? Verum quidem. At alte spectare si voles, inrueris, Deum illis aut largiri, quòd petunt, aut aliud melius, illisque ad animi tranquillitatem vtilius, & ad gloriam sempiternam consequendam accommodatius. Si eis non auertit calamitates, impertit illis gratiam, firmitudinem, patientiam, rerum humanarum tolerantiam: quod est multo illustrius & præstantius. Quid significabat rubus ille, quem vidit Moses, qui ardebat, & non comburebatur, quia Deus erat in illo, nisi virum pietate & religione præstantem, qui flammis & spinis afflictionum expositus non comburitur, nec læditur, quia Deum habet adiutorem? Imò ipsis arumnarum flammis redditur multo clarior, illustrior, & constantior. Filii Israël, vt capite primo Exodi scriptum legimus, quanto magis oppressi erant, tanto magis propagabantur: quia quò duriores sunt acerbitates virorum iustorum, eò eorum virtutes & plures & ampliores redduntur. Eam ob causam non debent cadere animo, quamuis in afflictionibus constituti non videant liberationem. Expectent, Deum inuocent, eum virgere precibus non intermittant, nec in summa desperatione desperent: sed diuina oblectentur consolatione: nam Deus eos eripiet, quemadmodum Ioseph, Dauidem & Iob eripuit, & ad veram dignitatem adducet. Id docebat idem Dauid Psalmo (ingessimolex) iis verbis: Delectare in domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Sinauent id statim non videris, ne tibi adhibeas desperationem. Vide quid statim dicat idem diuinus psalter: Reuela domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet. Et educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tanquam

Exod. 1.

Exod. 1.

Psa. 101

Iob. 13.